Martinus

Matth. Chrisost. Applausus acroamaticus.

APPLAVSVS ACROAMATICVS.

Seu

DONARIVM HONORABILE

Illustriss. & Reuerendiss. Præsuli ac Dño,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicę Sedis gratiâ Episcopo Cracouiensi, Duci Seuerieñ. Almæ Academiæ Cracouieñ CANCELLARIO, & Protectori clementissimo.

A

MATTH: CHRYSOSTOMO BVCZKOVIO,
Art: lib: Magistro, ipso die faustißimi ingressus in Episcopatum, gratulanti animo, factum dicatumque.

CHRONOSTICON
Annum, Mensem, Diem designans.

SysCovIVs praesVL sacras DVM prēdIt habenas
FlorIcoMIs PhœbVs tVnc VehebAtVr eqVIs.

CRAC. In Typogr. Lazari, apud Matth: Andreouieñ. excussum.

Hinc virtutis apex, celsum prospectat olympum.



Sic stata Fatorum series, sic sanxit Apollo.

In arma Illustriss. & Rev̄ndiss. Dn̄i D. MARTINI SZYSZKOWSKI Episcopi Cracouien: Ducis Seuerien.

QUid geminæ dic tant lunæ: quas crux media ornat?
SZYSZKOVIÆ, signant nobile stemma domûs,
Hîc Pietas, hîc nuda Fides, hîc candor Honesti:
Hîc animus Patriam ritè iuuare, nitet.
Hîc radians splendor uirtutum, porrigit, usque
In mundi geminas, lucida signa, plagas.
Consilio, ore, manu, Patriam ornas? Magne SENATOR,
Plaudit in aduentu, docta Thalia, tibi:
Coelicolûm superas, PRÆSVL dignissime, in oras
Pandis iter; Pastor, cum Grege, uiue, tuo.
Marte, togáque, sacræ protector Relligionis,
Lætifica Regni sceptra decore nouo.
Pro te uota dabant, Clerus, cum & plebe, Senatus:
Plaudunt nunc Ephoro Templa sacrata suo.

Cicero II. de Oratore.

ILLVSTRIVM VIRORVM FACTA LITERARVM MONVMENTIS CONSECRANDA. OMNIA ENIM EXEMPLA, QVIBVS AD EGREGIA FACTA & ILLVSTRIA OPERA EXCITANTVR POSTERI, SEPVLTA IACERENT IN TENEBRIS, NISI LITERARVM SPLENDOR ACCEDERET. Quid ita? *Addit Menander:* QVONIAM SIC CVILIBET FAS EST: ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ, κοσμεῖν, καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν βίον. *i. e. veluti in ſpeculo ornare, & componere ad aliorum virtutes vitam.*

Ergo Cracia, Præſuli
Docto, carmina promito:
MARTINO, metra dicite
Muſæ Viſtulides, Patri,
PRÆSVL, carminis author eſt
SZYSZKOWSKI! ſonet æthera,
Celſum, vox, feriat polum.
Clangant cum citharis lyræ:
Diuorum ecce reponitur
Aris, Præſul amabilis!

MARTINVM, benedictio
Magni Pontificis Dei,
Altis ſiſtit honoribus:
Spondens purpureum decus.
Illi, cum patribus, Viri,
Portent cum violis, roſis.
Paſtori nitidoque oues
Plaudentes, reſonent iò.
Ergo viuat, iò, diu.
Viuat ritè perenniter.

Illuſtriſſ: S. Celſ.

Cliens humilimus. M. M. B.

ORA-

ORATIO

ΣΥΓΧΑΡΜΑΤΙΚΗ.

INter optatiſsima quæq; diuinæ benignitatis munera, vel maximè lux hodierna nobis affulſit gratiſsima, Illuſtriſsime PRAESVL SZYSZKOWSKI, quâ ſummus rerum omnium Arbiter & Effector Deus Opt. Max. Gregi ſuo (mærentiſsimo hactenus, poſt nunquam ſatis laudatæ memoriæ Paſtorem PETRVM TYLICKI, prudentiſsimum rerum moderatorem, de Eccleſia Dei, Academiâ, & totâ Repub. optimè meritum Patrem extinctum; cuius virtutum robore, & firmitate conſilij admirabilis, propeq; diuini, Senatus, populuſq; Sarmaticus erectus incedebat) Te Paſtorem vigilantiſsimum, Sacrorum principem optimum, atque Cleri totius Ducem & Anteſignanum inclytum, in opere diuino exercitatiſsimum, cooptat, & denunciat. Quis igitur non lætetur? quis non, in tuo aduentu, inſolito geſtientis animi tripudio efferatur? quis non honori excelſo, quem tibi virtus tua peperit, non gratuletur? cum vultum hũc tuum candidiſsimum, iam diu à nobis omnibus votis ardentiſsimis expetitum, Numen cœleſte præſentat; atq; veluti Solis facem rutilantiſsimam pul-

lis aquilam, integrâ oculorum acie conſpiciẽdam, proponit: & in hac temporum iniquitate, in varia multiplicis religionis ſectione, te, nobis omnibus qui te veneramur, tanquam filijs Patrem clementiſsimum, demonſtrat ſalutandum. Equidem circumfuſa hæc omnium Ordinum, Profeſsionum, & Conditionum multitudo, licet multiplici tenore verba varia mellifluo ore perſonare videatur: tamen hoc vnum concordi animo à ſummo illo & prouido Paſtore Deo precatur, & ex intimis cordis penetralibus idipſum efflagitat, vt quẽadmodum te ſaluum conſpicimus ac incolumem, ita eundem integrè ſartum, tectumq́; quàm diutiſsimè intueamur, & iucundiſsimo tuo conſpectu, in longi temporis vſuram, perfruamur. Titanijs enim ille radijs lucidior, incredibili non ſolùm nos omnes, qui ſub tuis nunc auſpicijs, & Chriſti Dei vexillo militamus, ſed omnes etiam alios, quibus iam pridem ſingularis tuæ benignitatis aura, & clemẽtiæ vis cognita perſpectaq́; eſt, ſimulq́; in Deum, ac res diuinas, candidiſsimi animi tui affectio, explorata, quâ tu cæteros ſuperâſti, & multo interuallo poſt te reliquiſti, voluptate, ac lætitiâ perfudit. Viuit enim in te pietas, viuit deuotio, & omnis dignitatis ac honoris gratia, & ſplendor in te relucet. Hinc fit, vt omnes tui, tuo inſtituto & exemplo viuere contendant, qui ſe virtutum fulgori, doctrinæ præſtantiæ, vitæ puritati, ac probatis candidiſq́; moribus, ritè & legitimè conſecrauerunt. Etenim nemo eſt qui am-

bigat,

bigat, te optimis quibusq; bene velle, eisq; ex animo fauere, imò verò & Mecœnatem te eis exhibere fauentissimum; vt potè, qui in hac rerum omnium perturbatione, florentissimæ olim, nunc (hem) compressæ Reipub. literariæ, Patronorum defectu, in te spem omnem sitam esse, certò nobis persuadeamus. Ex quorum numero, cum ego me esse comperiam, qui tibi vnà cum omnibus alijs meis intimis & familiaribus, nouum honorem gratulari cupiam; an contemnes animum adeò paratum ac studiosum? An verba hæc ex intimis pectoris recessibus promanantia, quamuis horrida illa, & rude quid atque absonum strepentia, repudiabis? quippe cum & balbutientes filios patres libenter audiant, eosq; in tempore pro suo amore consolentur. Equidē eâ animi sum lenitate, vt, si fieri posset, cum tota hac & numerosâ grauissimorum virorum coronâ, quæ effusa est hodie in tuo aduentu gratulabunda, prope humeris suis te exceptura, cuperē applausus & gratulationes facere, quas aliquando Cyro ad se aduentanti Persæ, Philipomeni Megapolitani: Alcibiadi Athenienses: Camillo Romani: Carthaginenses Hannibali, habuêre: eamq; ego, si non totam integrè, at saltem partem aliquam persoluere conarer; nisi sciam te, laudum munera, quæ tua modestia est, & omnis generis encomia, penitus reformidare; Etiamsi hinc amplissimam virtutū segetem consurgere, & in posteros affatim deriuare, ignorat nemo. Quocirca nonnisi illud me efficere, &

à te impetrare posse confido, quod apud Alcinoum Vlysses præstitit, cùm se ab eo plurima beneficia accepisse pasim confiteretur, non tamen ea persoluere, sed gratâ memoriâ tenere, prædicabat; indeq; deuoti animi significationem, ac propensam voluntatem denuncians, nullo vnquam munere se eius beneficentiæ satis respondere posse asseuerabat. Ac proinde ego quoq; gratus existens diuini beneficij, quòd te nobis concesserit spectatisimum Dominum, & Mecænatem benignisimum intueri, ob idq; & tibi non ingratus esse volens, meque in gratiam & patrocinium lubens deuouere, ac commẽdare gestiens: quid potisimùm in medium adferre deberem, diu mecum deliberabam. Hinc enim timor iunctus pudori, & dicendi inopia, perstringebat mihi mentis oculos: illinc Academiæ amor & veneratio, cuius tu Cancellarius es, & literatorum Patronus benignisimus fausto omine adueniẽs: præterea & Episcopi adornata honoratio ad nomen tuum celebrandum, tanquam in speculo quodam effigiandum, vel penicillo adumbrandum, ac coloribus submisionis exprimendum, instigabat. Huc accedit, vt dum ad laudes tuas decantandas me accingerem, adsibilare mihi fortasse quispiam Aristarchus iure posset, quòd ego pugillum Oceano aliquid superaddere putem, & acutè videntes aquilas nihil veritus, tanquam agnus quidam, & mansuetudinis cultor non vulgaris, vadum tranare præruptum tentem, & veluti Glaucophi-

los Solis

los Solis orbitam ſplendidiſsimam intueri, parum eſſe ducam; in laudes duntaxat tanti Præſulis, in quo laudando ipſo opus eſſet laudatore, excurrere præſumendo: vt potè, homo neglectus, ob penuriã rerũ & dicẽdi inopiã: Quò enim ſe fortuna, eò & fauor hominum, inclinat. Hincq; fit, vt mea in Illuſtr: Celſ: tuâ laudandâ infantia, & perſonę exiguitas, ne, apud cõtortâ, & vituperanti nare Criticos, mihi officiat potiùs, vti ignoto, quàm gratiam aliquam tui caſtigatiſsimi iudicij experiatur, non mediocriter pertimeſcebam. Sed tamen, cũ ſciam res tuas omni memoria dignas, in Repub. Polonâ, & in exteris nationibus geſtas, adeò eſſe illuſtres ac peruulgatas, tamq; ſuâ ipſas luce ſplendeſcere, vt non tam amplificandi, quàm percenſendi, nec exornantis, ſed indicantis manum expoſcant; id demum me non mediocriter recreabat, atq; exhilarabat. Ideoq; in eam ſpem veniebam, te ex paupere ſinu meo, veluti Perſarum ille Dynaſtes, hauſtum aquę, in multorum oblationibus benignè ſuſcepturum, & æqui boniq́ue conſulturum. Non ergo deſpondebã animum, nec quicquã torpori concedo, occaſioni obtemperando. Nam quid facerem Illuſtriſſ: PRAESVL? cum viderem tibi omnes, ab omnibus de bonis Reipub. & Eccleſiæ, meritis viris, honores & applauſus ſolennes apparari: cum parietes ipſos, Templa, Curiam deniq; inaurari, vt, ſi loqui poſſent, hæc omnia in voces pro aduentu tuo promptiſsimè ſe exoluerent: imò ipſam Ciuitatem nũc

in tuos amplexus ac honores effusam esse aduerto, certatimq; omnes ad te omnium Magistratuum & Ordinum ciues inclinatos, tuæ vestis lacinias ipsas venerari, & flexo poplite adorare. Cur igitur ego tardus? cur adeò ingratus? Si Athenis Diogenes Philosophus, cũ videret alios sua obire munia, & passim esse intentos operi, ipse quoque reiecto ocio, suum dolium versare, & in gyrum rotare, pulchrum duxit: quis mihi vitio vertet, si etiam absonam, ne dicam elinguem meam dictionem, tanquam ille Cyri filius, in Parentis benignissimi, & sacratissimi Protectoris aduentu explorem, & in medium producam? Quare, cum per virtutum tuarum decora, & meritorum ornamenta, enarrando, tanquam per viridantissimos Alcinoi hortos strictim decurram, non ingenium me (quod noui quàm sit exiguum) venditare, non auribus tuis purgatissimis velle aliquid dare, existimabis; ab omni enim assentationis vitio, quàm longissimus semper & vbique esse volo: sed Dei benignitatem patiare me paulisper prædicare, & Numen illud salutare intelligas me ardenti studio celebrare velle, ex eo, quòd talem ac tantum Ecclesiæ suę prouiderit Pastorem, in eaq; Pietatis Ducem, & magnanimum in Christi militiâ Achillem, concesserit. Pulcherrima dicam, breuissimè tamen me expediam, ne placidissimo tuo palato fastidium generem, vel indignationem. Attende igitur patienter ad dicta mea, quę congessi in tuas laudes reuerenter. ∞

Tria

¶ Tria esse video Illr^me PRAESVL, quæ in te relucent honoratissimæ tuæ Gentis insignia, & tuarum virtutũ ornamenta, quibus nõ modò altissimos honorum gradus consequi, sed etiã cœlum ipsum conscendere facilè valeas: nempe quòd amore & beneuolentia cõprehendas omnes, quibus bonum publicum cordi habetur: Deinde verò, quòd omni facultate siue prudentia, & vsu polleas ad res præclarè & fortiter gerendas: Tandem verò quòd sis ijs virtutibus instructus, quæ huic muneri potissimùm conueniunt; iustitiâ nimirum, & clementiâ, cum religione & liberalitate coniunctâ. Ac inprimis magni & excelsi animi te dicunt vniuersi, qui sobriè de rebus iudicant, quòd per rectè factorum claritatem, & virtutum tuarum magnitudinem Menti illi supremæ, & sapientissimo vitæ Moderatori & Censori Deo assimilari studeas, vitam communem inter mortales ad omnem fidelitatis & amicitię integritatem cõponens. Hoc enim in te probitas naturæ, & elegantia morum cum rectitudinis ratione coniuncta efficit, vt nequaquam illa, quæ ad salutem Reipub. faciunt, minùs rectè promoueas, vel Bonum cõmune, aliquo nocentis affectûs turbine, disturbare moliaris: quin potiùs dicta, & facta omnia, ad honestatis & vtilitatis rationem conferens, vnicuiq; mortalium prodesse contendas. Quemadmodum enim Solis radij ceram mollificant, lutum verò consolidant & indurant; ita tu in Rep.

Polonâ Præses & moderator rerum diuinarum & humanarum existens, vt discholes, & disidia animorum fouentes,pænâ, & legibus,continere in officio censes, ita in concordia & vitæ coniunctione amicabiliter viuentes, laude & præmio afficiendos existimas. Sciens nihil aliud amicitiam esse, nisi nexum quendam animorum, & rerum omnium, quæ in hoc toto vniuerso conspiciuntur: non quippiam dici aliud, nisi morum similitudinem, & illam suauissimã pectorum cõsensionem, in Bonum commune conspirantiũ, adiuncta virtutis politicæ, & effectus ipsius explicantem. Quæ quidem nisi esset inter Proceres Regni, & Præsides populorum, neutiquam certè florens, ad quem omnes anhelamus, status rerum omnium permaneret. Sicut enim cathenâ, etiam grauia quæq; colligantur & retinentur: ita amicitiâ, omnia ciuium membra, in publica dignitate conseruantur. Hinc Romanæ Parens eloquentiæ Tullius, Solem è mundo tollere inquit eum, qui amorem & beneuolentiam è media hominum consociatione auferre malitiosè præsumpserit. Quemadmodum enim in cithara tot chordæ, perfectam & iucundam consonantiam reddere non possunt, si illarum vna vel rupta, vel non rectè coaptata fuerit: Ita Respub. nisi pace & tranquillitate suorum ciuium, suauissimos edat concentus, corruat est necesse. Hoc tu à primo ætatis tuæ flore aduertens, ita animum tuum ad omnem honestatem componebas, ita morum elegantiâ, & lite-

rarum claritate, totum te informabas, vt tanquam in oculis Dei viuens, tandem aliquando in ſublimi excelſæ dignitatis gradu conſtitutus, ſcias probè, & valeas res cum ſumma authoritate adminiſtrare. Ac primùm quidem ex pueris poſtquam exceſsiſti, in Patriæ ſolo iucundiſsimo, in quo ex nobiliſsimis, & antiquiſsimæ in Polonia Proſapiæ parentibus natus es, in ijs artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ab eruditiſsimis hominibus, liberaliter & ingenuè excultus eras. Et cum celeriter laude antecelleres omnibus, ingenijq́; gloriam in virtutum ſplendore, & laboris contentione, alijs etiam æmulantibus tibi comparâſſes; mox in Italiam, matrem ſcientiarum fæcundiſſimam, & ad exteras nationes, (in quibus hæc artium & diſciplinarum ſtudia, vehementiùs elegantiuſq́; ad applauſum tuũ colebantur,) te contuliſti: vbi ſpecimina non vulgaris ingenij tui eluxerunt. Namq; & naturæ latebras, & abdita arcana Philoſophiæ, tam diuinæ quæ omnem veterum ſuperſtitionum procellas remouet, quàm prophanæ quæ ingenij acrimoniam auget, inprimis eras perſcrutatus. Deinde rationem Reipub. gubernandæ, & temporum curſum atq; recurſum inueſtigaueras, ſitum terrarum, hiſtoriæ veritatem & lumen cognoueras; Hinc & ius Pontificium ac Ciuile penetraueras, quo ſontes expugnare, innocuis pro generoſâ mentis indole velis opitulari: ex eoq́; & nunc tanti facis Doctores ac Magiſtros induſtrios, quanti

ſolet facere bonus Imperator militem egregium atque in re militari expeditum. Ergo cum ingenij tui promptitudine tantopere valeres, vt nihil quod te dignum ſcire putares, intentatum relinqueres, etiam ſummæ eloquentiæ Magiſtrum ac Romanum Profeſſorē Marcum Antonium Muretum adijſti, eique te totum veluti excoquendum tradidiſti, & expeditè deuouiſti, à quo non grauatè vt dicendi, ita iuxta virtutem, ac leges publicas viuendi, præcepta imbibiſti, ex eoq́; in illis regionibus omnes, qui aliquid de ingenijs poterant iudicare, te amicitiâ & cognitione dignum exiſtimârunt, imò SZYSCOVIVM digito monſtrãtes, florem & decus Poloniæ, tanquam Numen quoddam venerabantur, & ad ſumma quæq́; natum præſagiebant. Iam verò & laudatiſsimus ille Poëta, ac inſignis Orator Bencius, quo in amore, & quibus te in delicijs habebat! ob præclarum & excellens tuæ Eruditionis decus, & in eas quibus ad omnem vitæ integritatem excitamur virtutum propenſionem, ac ſingularem tui oris Tulliani facundiam! qua quidem nihil adeò eſt horridum, quod non ſplendeſcat & tanquam excolatur. Hac tantâ famæ celebritate, cùm eſſes iam & abſentibus notus, in Patriam tanquam Indicus mercator, auro & gemmis onuſtus virtutem ex Præceptoribus edoctus verumq́; laborem, feliciſsimè redijſti; vbi cùm omnium ora atq́; oculi in te eſſent conuerſi, magnam de te omnes conceperunt opinionem, in fortunarum ſplendidiſsimam acceſsio-

nem, & honorum euectionem ſpectatiſsimam. Eos autem tu omnes deuinctos conſuetudine cùm teneres, afficiebaris ab eis viciſsim ſummâ obſeruantiâ, & cultu: te enim propter ſenilem tuum in adoleſcente animum, & fæcundæ mentis coniectationem, non ſolùm diligebant, & humaniſsimè tuebantur, qui aliquid percipere, aut à te audire ſtudebant; verùm etiam ſi qui fortè ſimulabant interim, quaſi cœlitus demiſſum te Coronæ Filium, in ſpem Patriæ expeditiſsimum, fatebantur. Moribus quippe grauiſsimis, ſuauitate dicendi, omniq́ue humanitatis condimento attemperatis, omnes quibus cum familiariùs viueres, incredibili quadam iucunditate tibi conciliabas, & exemplo tuæ probitatis, ab omni dedecoris labe, & turpitudinis dedecore, ac infamiæ notâ reuocabas. Veram nobilitatem, non ex fumoſis Auorum imaginibus, aut Maiorum factis illuſtribus, ſed ex propriæ induſtriæ celebritate, ex animi magnitudine, & virtutis cuiuſlibet claritate, pendere edocebas, & omnibus paſsim, te veluti Oraculum conſulentibus, ingeminabas. Itaq; poſitus in rerum humanarum ſecundo curſu, ætate, ingenio, nobilitate, gratiâ, opibusq; florens, non ad pompam & ambitionem reſpexiſti, vltro citroq; diuinâ animi celſitudine præditus, iſthæc, quæ dolorem incutiunt & pudorem, vniuerſa deſpexiſti, imò repudiâſti. Indeq; te virtus tua, doctrina, labor, ſacris Altaribus Sacerdotem, caſtimoniæ vitæ & integritatis amantem, ad-

mouit

mouit, & in amplissimum Collegium, Illustrium Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Cracouień. Seminarium Episcoporum antiquum, adsciuit, ex quo ceu ex perenni fonte honoris omnis & dignitatis, tot literatissimi & scientissimi in Rep. Sacrorum Principes, & Senatûs Consiliarij, non iucunda Oratione aures titillantes, sed vtilia consulentes, prodierunt. Nec immeritò sanè. Sic enim faciliùs Patriæ commodis inseruire tuam operam deposcenti, & ad cœlestia animosiùs aspirare te fecit, dum in animo pensitares, omnis virtutis quidem principium esse prudentiam, finem autem Fortitudinem. Nam vt illa quid agendum sit indicat, ita hæc publicam promouet ac tuetur vtilitatem. Magnum quippe ratus eras, principia rectè ordinare ad finem: maius in theatro omnium, & communi hominum societate decenter viuere: maximum verò, omnium copiam habēdo, & alijs eam, veluti redundantibus Nyli ostijs, vel Ægyptiorum frugum aceruis, subministrando, in omni dignitate Remp. collocare: vt pote, omnia ad exactam recti iudicij normam, tanquam ad Lydium lapidem componendo, quo pacto facultas de bonis & malis quibusq; bene merendi, ex virtutis splendore, nō ex flagitiorum turpitudine, comparetur. Et fecisti sanè, quemadmodum prudens nauarchus, vt ingruentes tempestates, & sorbentes procellas, rationis remo (tanquam ex altissimâ speculâ Lynceus ille Argonauta, qui per centū triginta millia passuum exeūtem à Car-

thagine classem Punicam, numerumq; nauium, manifestissimè notauit) præuidens, excelsæ mentis robore, & insuperabilis doctrinæ firmitudine, tanquam alato Pegaso Bellerophon prouectus, Chymæram monstrum portentosum, scilicet, technas & insidias maleuolorum de religione malè sententium, bella ciuilia & tumultus domesticos fouentium, postmodum omnes propulsare scias, & prosternere valeas. Et effecisti sanè ex voto; Namq; secundo cursu ad ardua prouectus, & Principum aulis cùm esses admotus, per mansuetudinis nitorem, in tantùm placuisti Pontifici prudẽtissimo PETRO MYSZKOVIO, vt te magnum in Rep. futurum pronunciaret. Similiter quoq; & Cardinalis ille diuinus BERNARDVS MACIEIOVIVS, cuius iudiciorum Assessor & Cancellarius fuisti, propter prudentissima tua respõsa, & in rebus gerendis peritiam, ac indefessam patientiæ tolerantiam in qua multi concidunt, nihil ardentiùs, quàm te in sede Episcopali videre, desiderabat. Nec verò suo frustratus est adeò laudabili proposito. Namq; in Regis Serenissimi Sigismundi III. aulâ, omnis decẽtiæ & rectitudinis theatro, dum sanctissimè degeres, nõ simulatione aut versatili morum curiositate, sed ingenuo animi candore, & factis insignibus, innotescere superioribus, & cæteris præire, studuisti: tecum simul in palatia patientiam inuexisti, laborem, industriam, vigilantiam, constantiam, paratum omnibus officium, Principi studium ac fidem in omnibus probâsti; me-

mor loci, expectationis, eorumq; omnium quæ ad claritatem nominis iter præmonſtrant. Eos autem qui pro humanitate ſimulationem, pro ioco luxum; pro circũſpecta ratione viuendi, auaritiam; pro honore diuitias vſurpant; qui ſequuntur inertiam, qui domi delitijs affluunt, in aulâ gratiæ & abdomini ſeruiunt, omnes eius farinæ homines tanquam tineas, & aulicos huiuſmodi vti ſorices ſuo ingenio relinquendos cenſuiſti. Quid ita? quia ſolent illi artibus ijsdem tueri honores, quibus illos pepererunt. Nempe quia promoti à cæca & volubili rotæ inſiſtente fortunâ, etiam cæci penitus & ipſi fiunt, authoritateq; armati, redduntur quàm nocentiſsimi, & omni veneno peſtilentiores. Tunc enim demum honores viros arguunt, & ſuapte naturâ quid valeant, produnt in apertum. Ac proinde tu arcanorum conſiliorum factus particeps, dum, liberè cum veritate in omnibus conſentiens, officiorum publicorum & priuatorum viam percurreres, tanquam Palynurus ad Cynoſuram, ad æquitatis normam omnia dirigebas: tanquam Argus Centoculus ad Iſidis ſplendorem, id eſt, famæ & nominis celebritatem, animi vultum habebas intentiſsimum. Tunc equidem, tanquam cautus Vlyſſes cato tuo pectore, feruoris æſtus iuueniles, & fluctus ambitionis, tanquam Scyllæam rabiem, & Charybdis tortuoſitatem, cerâ amoris Dei, & timoris ſpinis obturabas; vt ſic demum, blandiſsimos Syrenarum cantus, & auræ popularis ventum, potuiſſes euitare.

Indeq; non Maiorum tuorum colossos, vel facta fortia commemorando, sed ipse ea aggrediendo, & in te ipso exprimendo, clarus fieri virtute, illustris rectè factorum celebritate, voluisti: ita vt quot probitatis exempla in te relucerēnt, tot imaginum vultus, & insignia nobilitatis, te apud posteritatem habiturū, reputares. Omnia grauiter, symmetricè, recto in ordine & modo, peragebas: omnia prudenter, & seuerè, sine adiunctâ noxia & blandissimâ dominâ voluptate, cum quâ nihil tutum, nihil honestum, nihil sanctum diu stare potest. Non equidem Deo carum esse posse, dicit Seneca, cui corpus nimis carum est: nec quenquam, extollere se valere ad diuina, mortalium, nisi omissis turbidis & sordifluis impuræ cogitationis vndis, ac incōtinentiæ fluctibus omnino repressis. Itaq; cùm animum tuum ab Honesti & Recti tramite longè difficiliùs fuisset, quàm solem à suo cursu reuocare, Fabriciorum, Curionum, Deciorū, Scipionum, & trecentorum aliorum nomen, promeruisti. Ergo omnes suspiciebant in te probitatem, integritatem, grauitatem, virtutem, fidem, constantiam, cæterasq; egregias dotes tam corporis quàm animi, teq; vehementer admirabantur, & laudum encomijs ad cœlū vsq; extollebant. Neq; enim superbia, nec dolor, nec periculū vllum odij, de statu mētis te deiecit, sed tibi similis, tanquā tetragonus lapis, vel rupes immobilis auræ popularis flatibus, extitisti. Sicq; te omnes, ad grauissimū munus Senatorium apprimè natū & pulchrè cōpo-

situm esse iudicabant. Agè verò, cum vidisset Admirator, & virtutum diligẽs obseruator tuarum, sapientissimus Rex, linguæ facundiam, morum incorruptam suauitatem, in prouidendis rebus prudens consilium, in exequendis dexteritatem, in omnibus moderationem, integritatem, æquitatem, & (vt vno verbo dicã) videns in te omnia summa, perfecta, absoluta, suisq; numeris consumata omnia, dignum te suo consessu iudicauit, dignum, qui non iam priuatim, sed publicè de rebus & Reip. salutaribus, ei consilia & documenta suggeras. Neq; eius de te fefellisti opinionem; nam postquam diuina suffragante gratia LVCEORIENSIS Episcopus esses factus, quid non pro laude æterni Numinis egisti? quid non pro Ecclesiæ vsu Tibi subeundum iniunxisti? Schismata nempe, & infidelitatis errores perstringendo, ac contumaciæ fibras radicitùs euellendo. Testantur de Fide Belarmini Cardinalis Institutiones, à te ex Latino, Polonico idiomate donatę, pro Diœcesanorum tuorum commodo, & pauperum Clericorum leuiamẽto. Doctrina verò, & feruor ille tuus, quẽ non adeò afficiat, vt cælum ipsum pertingat? quem in tua disertissimè scriptâ Oratione contra Equitem vanum ac futilem pro religione defensandâ, & religioni consecratis viris, integrè, pieq;, in suæ vocationis decentiâ, viuentibus, vindicandis, expressisti, cum omnium admiratione & applausu? Declarâsti te profectò non vulgarem iustitiæ protectorem, & veritatis legitimæ nõ fictum esse amatorem.

torē. Hinc fit, vt te nūc perhorrescāt omnes, quicunq; armati linguæ toxico, lancinare consueuerūt bonos, vt pote fulmine tuæ concitatæ Orationis, & Authoritatis respectu, tanquam Stymphalides arcu Herculis, mox deijciendi & proterendi. Ab eo tempore, non Harpyiæ audent tibi accedere omnia conspurcantes, gladio tuo & ingenij acumine discindendæ. Nam velut Zethes & Calais tam dicto, quàm scripto, tam ferro quàm calamo scis rebelles comprimere, & bacchātes domare. Macte igitur virtute & potentia, ne cessa viriliter pro laude Dei & Bono publico stare, ac veluti miles strenuus & Apostolicus vir, pro summi Imperatoris Dei honore, & Sponsæ eius vnicæ Ecclesiæ sanctæ decore, in labore & Atlantico onere excubare. Eius enim nunc vicem subis, quo iam pridem & subesse didicisti, & regere alios cum dignitate, atq; præesse ex vsu publici emolumenti, ab eodem potestatem, accepisti. Haud ignarus Solonis dicti, quô nō nisi eum populi præsidem esse debere docet, qui seipsum rectè priùs dirigere sciret per virtutem, aliosq; prudentiâ moderari calleret per fortitudinē: alioqui similis redderetur ei, qui virgâ curuâ vmbram rectam facere conaretur. Nisi enim in rectum protēdatur, nunquam certè vmbra directè ferri poterit. Itaq; par est profectò, vt tu multos regas, & à tuo capite tot capita moderētur: quia te ratio non ira regit, dignū est vt subiectis tuis præsis & imperes, quia te subiecisti morū, virtutum, & doctrinæ rectitudini: iuxta Boëtij

præceptum, quod ita ſonat. *Qui ſe volet eſſe potentem, Animos domet ille feroces, non victa libidine colla fœdis ſubmittat habenis. Etenim licet Indica tellus longè tua iura tremiſcat, & ſeruiat vltima Thule. Tamen atras pellere curas non poſſe, potentia non eſt.* Scitè equidem hoc eleganti carmine expreſsit, vir prudentiſsimus, neminem imperare poſſe ſalubriter & ex vſu Reipub. niſi qui ſubditis eſſet melior per iuſtitiam & clementiam, bonumq́; commune ad omne decus dignitatis impellat per religionem. Cuius quidem ego duo reperio munera: Noſſe ſupremum illud Numen, & cognitum purè ac integrè venerari. Nam quemadmodum Hermes loquitur: ὁ θεὸς ἐϛὶ βασιλεὺς τῶν θνητῶν καὶ ἀθανατῶν, τῶν ὀντῶν καὶ μή ὀντῶν, τὰ μὲν πάντα γὰρ ὀντα ἐφανέρωσε, τὰ δὲ μὴ ὄντα ἐχεί ἐν ἑαυτῷ. Id tu aduertens nihil te dignũ putas, niſi in quo opus Dei expleas, & in teipſo quodam modo exequaris: Hocq; exigis ab omnibus tuis, vt ex animo & corpore conſtituti, conuenienter naturæ viuant, & per rectè factorum præſtantiam, ad Deum imitandum toto pectore, & incenſo amoris ardore rapiantur. Cum Religione enim Reſpublicæ aut floreant, aut cadant eſt neceſſe. Scis tu non aliam eſſe cauſam, cur Græcia quondam ſcientiarum omnium inuentrix & magiſtra, nunc proſtrata & diruta iaceat, Turcicumq́; onus grauiſsimum perferat; quòd religionem puram & auitam contempſerit. Præterea & Hungariam tantopere conflictari non ignoras, & vix à bello re-

ſpirare eam poſſe ſuſpicis, quòd religionis integritatē, & ſynceram Fidei bonitatē reſpuerit. At verò Romanū imperium tam diu permanere, imò in ſempiternum florere, certò tibi perſuades, quòd Religionis Parens & Regina Roma eſſe conſpiciatur, hæreſes omnes omnium temporum religioſiſsimè abiurando. Sed quid ego remotiora hæc commemoro? cùm domeſticis exemplis abundemus. Proinde verò Polonia noſtra, in omnibus fortunæ caſibus exercitatiſsima, & conſtantiſsima, cur ſcientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, & fælicitatem ſuam retinet (licet in omni patientiæ exercitio erudiatur) & viuat ſemper? Quia à Regibus prudentiſsimis, & religioſiſsimis, gubernatur, & in omni libertate promoueatur: qui fidem Deo ſemel datam conſtantiſsimè profitentur, & Sedem Apoſtolicam ſolitâ pietate colunt, ac venerantur. Hinc enim illud apud noſtros Maiores erat in more poſitum, vt dum Sacratiſsimum Chriſti Ieſu Euangelium in officio diuino à Sacrificante legeretur, cum diſtrictis ad medium gladijs omnes adſtarent, & pro Chriſti nomine ac fide vitam profundere paratiſsimos ſe teſtarentur. Religio igitur regna omnia ſtabilit & cōſeruat. Quâ SIGISMVNDVS III. Rex noſter potentiſsimus, quia diuino munere affatim ornatus eſt, & cumulatiſsimè imbutus, ideo noſtram Rempub. multis hactenus vndiq; cinctam periculis, & inundantem diſsidijs ac tumultibus domeſticis, celeriter & proſperè, malis omnibus ſopitis, auget,

ornat,

ornat, ac amplificat, etiam cum vitæ suæ periculo, tanquam Dauid ille sanctissimus; ita vt quod alij Prædecessores vix optare vnquam putauerũt, hoc in eius mitissimas manus detulit diuina potestas. Quod vt illi & Soboli eius perauguſtæ, ac Cõsorti Regni Serenissimæ & pientissimæ, proprium & perpetuum sit, cum salutis & imperij incremento, id demum illi precari, & gratulari debemus. Præsertim cùm nulla res sit tam ardua, atq; difficilis, quam ille, diuino fretus consilio, inuicto animi robore, adoriri, singulari prudentiâ aggredi, & summâ fortitudine superare non posse videatur. Indeque Romulum armis, Numam pietate, Augustum decore & præsidio in Repub. ornandâ, paratum vbiq; & excelsum animũ, inauditam mansuetudinem, imperij authoritatem admirandam exhibens, superare iudicatur. Namq; eum Moderatorem populi esse debere ducimus, qui non priuatum sed publicum inquirat emolumentum. Ergo liceat exclamare:

Magne, SIGISMVNDO *regnante, Polone triumpha:*
SZYSCOVIO, *felix, Præsule, viue Deo.*

Quid enim? an in secundo illo tuo Episcopatu Plocẽsi parua tuæ pietatis & doctrinæ specimina reliquisti? dum inchoata perfecisti, recto ordine omnia fieri præcepisti; vt iuuentus florentis Reip. seminarium in literis, & virtutum curriculo, ad fructum cõmunem & Ecclesiæ vsum proficiat, effecisti; vt res sacræ non profano ritu tractentur, vrgenter instituisti; denique vt tam

priuatim

priuatim quàm publicè, tam domi quàm foris, rectè, decenter, & honestè viuatur, contentioso labore edocuisti; quo pacto Pastoris in Ecclesia munus dignissimum, in Repub. Senatoris grauissimi negocium, obiuisti. Hincq; & Rex serenissimus, iam pridem tuorum factorum illustrium, & oris facundiæ, in Comitijs Regni generalibus, & publicis negotijs, toties declaratæ non ignarus, te in legationem, ad Austriacam Gentem antiquissimam, ad orbis imperia natam, pro Serenissimâ CONSTANTIA, Regni & sortis suæ Consorte honorificè deducendâ, tanquam Auspicem pronubum, aut Paranymphum nomine S.R.M. disertissimũ, destinauit, cùm illustri ac Magnifico Domino Sigismundo Gonzaga Myszkowski, olim Regni Poloniæ Marschalco, à Mirow Marchione. Quod quidem munus, summo cũ honore, & omnium applausu, atque Regis inuictissimi amore, & iucunditate expediuisti, gaudio Patriam affecisti, fæcunditatem omnis Boni, & frugum vbertatẽ tanquam Triptolemi rotâ in Rempub. Polonam inuexisti. Qua in re dicent tuam dexteritatem Annales, & oris tui venustatem, atque paratum animum, & rerum expeditarum promptitudinem, futura sæcula prædicabunt. Age verò, quoniam virtuti inuia nulla via est, tendit enim in ardua semper, cùm te literatissimũ omnes Præsulem essent experti, prudentissimum Senatorem, illustrem Patriæ heroëm ac Principem, vno ore vniuersi dicerent, diuina virtus effecit, & altiùs genero-

ſa tua feratur promptitudo, lunæ binâ facie, & crucis ſuffulta præſidio: hæcq; probitas & meritorũ amplitudo, tranſcẽdat etiã Phæbi currus lunęq; quadrigas, dum CRACOVIENSIS Epiſcopus inauguraris: & iam pridẽ de te hominum conceptam exples opinionem, ac flagrãs tui in altiore gradu vidẽdi, eorũ promoues deſiderium. Quid enim hæc inſignia ſunt, niſi virtutũ heroicarum ornamenta? niſi ſapientiæ cuiuſdam diuinæ, & profundæ eruditionis firmamenta? quibus inſtabilitatem rerum deſpectans, omnia religione, pietate, & vitæ ſanctitate metiris: & quicquid cum cruci affixi Seruatoris Dei voluntate nõ conſentit, id demum tuo ingenio non arridet, id in arce honoris & dignitatis nõ reponis. O veræ immortalitati conſecratum Præſulem? ô heroëm magnorum conſiliorum incomparabilem? cuius ſententiæ, toties cum ſummâ admiratione aſſenſum eſt, & reſponſa pro Oraculo à Rege & Regni proceribus habita! Quis igitur mentis tuæ intimos receſſus perſcrutari poteſt? quis ardentẽ illum amorem, quo in Deum & Eccleſiã flagrans, tot multis in locis Xenodochia pauperibus exædificaſti, tot cõtubernia & Mudomicilia extrui curauiſti, rebus diuinis exæſtuãs? quis laboris in Vinea Domini tolerantiam, quis indeffeſſam operam in cognoſcendis, tranſigendisq; negocijs; quis ſingulari comitate conditam grauitatem; quis amplificandæ Religionis ſtudium; in procurandis Sacris aſſiduitatem; æquitatem iudiciorum atq; innocentiam,

nō dico enarrare explicando, ſed vix, ac ne vix quidem ſatis admirari poterit recenſendo ? Iam verò incredibilis tua manſuetudo cui non mirificè commendetur, nullis vnquam labefactata offenſionibus ? Præterea tui animi moderatio, quē nō delectet? inaudita tua ac pro, pe diuina, in tam excelſo honoris ac dignitatis graduum orum couuenientia, & clementia, quem non in tui amorem accendat & inflammet ? quis non tui deſiderio, ex aliorum ſaltem relatione, inardeſcat? Huc accedit, quòd liberalitatem tanquam matrem colas, eamq; promptâ voluntate, & facultate inexhauſtâ, omnibus declaras: quæ quidem alias virtutes quodam modo excellere, & in ſua veluti poteſtate habere videtur. Nāq; aliæ omnes, ex debito vel naturæ, vel iuris, & legum nuncupatione pendere videntur. Reddere ſiquidem quod ſuum eſt vnicuique, naturæ inſtinctu docemur. Temperanter viuere, natura quoque paucis contenta omnes edocet. Fortiter res exequi, & robore valere, commune quodam modo eſt quoq; belluis. At ſponte, liberè, nullo reſpectu, non meritorum habitâ ratione, ſed excelſi animi conſideratâ nobilitate, & ingenij magnitudine, benefacere alijs, hoc demum eſt magnificum & pene diuinum virtutis heroicæ argumentum. Nam ſi animi magnitudo rebus in magnis elucet, & vir magnanimus, magnitudine eſt quidem ſummus, in honoreq; verſatur, & viuit decentiſsimus; quod externorum bonorum maximum bonum & ſummum eſt, Phi-

 loſophorum

losophorum Principe 4. Moral. attestante; attamen Magnificentia, Liberalitatis amplitudine exornata, aucta, propagata, multò se illustriorem, multò excelsiorem, nititur patefacere. Quid enim? si Charitas Theologicarum virtutum princeps est, & regina, Fides enim & Spes (vt docētTheologi) deficient, ipsa Charitas etiam in illa suprema viuentium regione permanebit in sempiternum; est consonum veritati, Liberalitatē, quæ ex omni parte ei in moralibus virtutibus est persimilis (ex ea enim tanquam fonte limpidissimo promanat, & in alias longè latèq; diffunditur) cæteris omnibus iure merito præstare; indeq; nulla actione propiùs nos ad Deum accedere, eiq; reddi persimiles, quàm dum liberaliter & munificè opem ferimus implorantibus. Hæc siquidē est, quâ cunctos nobis veluti Gordio quodam nodo deuincimus; hæc nutrit egenos; virtutes alit; fortunæ bona in finem dirigit bonum, & felicitati cōgruentem. Et quoniam tu, PRAESVL Illustrissime, liberalitate in omnes vteris, munificentiâ omnes tenuioris fortunæ homines complecteris: pauperum turmas, tanquam Pater benignissimus filios, eleemosynâ subleuas, eaq; in re D. Martini viscera pietatis gestare videris, Religiosorum familias pane tuo pascis, sustentas; Ecclesias, & Oratoria, annuo prouentu ditas, ornas, gratiâ Dei accumulas; Insuper Scholas alis, & ex eis clientes tuâ gratiâ nō indignos, per virtutes, & literas, ad dignitates prouehis! Idcirco omnium beneuolentiam tibi

concilias & amorem; ita vt certatim, tanquam Themiſtoclis illius, virtutes tuas omnes cupiant deprædicare, omnes pietatis ſignificationem exhibere, omnes dignitati tuę, tanquam cuidam patrimonio, & hæreditati ſuæ ex animo gratulari: nec ſufficit vox, lingua, & laterum compages omnibus, ad tuas laudes non ornandas ſed ſaltem recenſendas. Quis enim vnquam adeò Principibus charus, tam gratus Senatui, tam iucundus nobilitati, tam amabilis doctis quibuſq;, tam rudibus & populis vniuerſis venerandus! colendus! honorandus viſus eſt, quàm tu? Qui in omnibus dictis & factis tuis, ſemper tibi, Socratis inſtar; ſimilis appares, in omni fortunâ æquabilem vultum prætefers, & benignitatis frontem in omnes declaras. Titus Veſpaſianus ob ſummam illam modeſtiam, & benignitatem, amor & deliciæ generis Romani fuit appellatus: hunc tamen ego Principem infra te pono iure meritiſsimo; comitatem enim morum, & illam benefaciendi alijs oſtentationem, quibuſdam vitijs more Gentilitio contaminauerat, licet biennio tantùm ſummæ Reipub. præfuerit. Aſt tu ſummæ rei in Eccleſia & Rep. præfectus, puram ſemper & integram ab omni flagitio vitam traduxiſti, & per multos iam annos Reip. diuinæ gubernacula, nō ſine omnium fructu & ſalutari commodo, tenuiſti; quo pacto, hoc tēpore nouâ iſta dignitate auctus, noſtrum es cōmune omnium gaudium, noſtra poſt Deum ſpes, noſtræ deliciæ. Tibi nunc ecce applaudimus, te ſuſpi-

 cimus,

cimus, te, pro tuo singulari in res altissimas, perpetuo in diuinas amore, veneramur & amamus: te Antistitem nostrum appellamus, pro te Iò acclamamus, laudes supremo cælorum Monarchæ decãtamus; felicem, faustũ, fortunatumq; ingressum precamur; prosperam, æquabilem, perpetuamq; in rebus gerendis fortunã, tibi exoptamus. Quem, non ita rem familiarẽ claudere, cognouimus, vt eam benignitas non possit aperire; quòd per eam nominis immortalitatẽ te cõsequi posse certò tibi pollicearis. Quomodo? Neminem videlicet à te tristem dimittis, diem te perdidisse censes, quo non alicui benefacias. Habes equidem semper ante oculos illud quod Liuius de Fabio Maximo scribit, qui tot ante sæcula ob paruam pecuniæ summam, pro publico vsu erogatam, ad hoc vsq; tempus, summis laudum encomijs satis dignè celebrari non potest. Captiuos duntaxat ille ab Hannibale interpositâ numorum pactione receperat, qui quidem numi, dum à Senatu non præstarentur in tempore, misso in Vrbem filio, fundum quem vnicum possidebat, vendidit, eiusq; precium Hannibali protinus exoluit, re quidem paruum, vt pote 7. iugerũ, sed animo nullo auro æstimandum. Semper quoq; & illius Gilliæ Agrigẽtini Ciuis optimi exemplum tuum pectus fodit, quem propemodùm ipsius Liberalitatis præcordia constat habuisse. Erat enim opibus florens, sed multò magis animo quàm diuitijs locupletior, semperq; in erogandâ potiùs, quàm in contrahenda pecu-

niâ, oc-

niâ occupatior, adeò, vt domus eius, quaſi quędam munificentiæ officina fuiſſe crederetur. Illinc enim publicis vſibus apta monimenta extruebantur: illinc grata populo ſpectacula edebantur; illinc epularum magnifici apparatus, latentiq; animo annonæ ſubſidia, detrimentorum incurſu quaſſatis, ſolatia exhibebantur. Inſuper hoſpites, ex varijs Regionibus peregrini, tum vrbanis penatibus, tum etiã ruſticis tectis benigniſsimè excepti, varijs munuſculis ornati, dimittebantur. Conſtat eum quodã tempore, quingẽtos Equites vi tempeſtatis in ſuas poſſeſsiones cõpulſos, liberaliter diu aluiſſe ac veſtiuiſſe. Quid multa? Non mortalium aliquem, ſed propitiũ Fortunæ geniũ, vel Amalthææ potiùs cornu, ac ſinum ipſum cuiuſdam Benignitatis effuſiſsimum diceres. Ergo quod Gillias poſsidebat, omnium quaſi commune patrimonium erat, ideoq; pro eius ſalute & incrementis, tam Agrigentina ciuitas, quàm etiam vicinæ regiones, ſuffragantibus votis excubabant, & tam charum habebant, vt nunquam eum morti obnoxium à Dijs immortalibus precarẽtur. Legimus quoq; non ſine riſu in Mexicanâ hiſtoriâ, eam eſſe in nouo illo orbe populorum conſuetudinem, vt dum Præſidem conſecrant, is iuret in hæc verba: Iuſtitiam ſe omnibus adminiſtraturum; nullum ex illis quos ſuæ poteſtati habet ſubiectos oppreſſurum; in rebus gerendis, & Repub. procurandâ fortem futurum, induſtriaq; ſuâ effecturũ, vt ſol curſum ſplendoremq; ſuum teneret, nubes plue-

rent , riui currerent, terra deniq; omne genus frugum produceret. Ex quo planum eſt, vt oues Paſtoris tutelâ; ita populos, hæc externa bona & animi decora, Præſidis ſui ſolertiâ & æquitate vel maximè metiri. Hoc idem de te confitentur omnes, quos tanquam Magnes ferrum, ſi modò ingenio, vel naturæ bonitate vtantur, munificentiâ tuâ & liberalitate trahis ad te, officiis beneuolentiæ proſequeris, & tanquam odore myrrhæ, aut balſami liquore fragrantiſsimo, admirandæ tuæ eruditionis ſucco, manſuetudinis ſaccharo, humanitatis condimento, ad te allicis; honoribus dignos accumulas; in vſum Reipub. & ornamentum promoues. Quid igitur tali animo ſublimius? quid diuinius in vitâ mortalium accidere poteſt? Quapropter omnes te amant, vt Patrem: venerantur vt Numen, qui beneuolentiæ tuæ vbertatem indiès experiuntnr, & munificentiæ fluentis accumulantur. Dicam ego ſine omni fuco, Deum in ſe exprimere, Deo eſſe penitus non abſimiles eiuſmodi homines, quib9 naturâ eſt familiare quotidie hominibus bene facere: Etenim laudabilius eſt, iuxta Xenophontem, beneficiorum, quàm trophæorum apud poſteros, memoriâ inclareſcere. Proinde verò, cùm tu non in eos modò, quos deuinctos officijs, & ſanguine tibi præclaro habes coniunctos, ſed in egenos quoq; & calamitoſos Chriſti hæredes, ac ſub potenti manu Dei viuentes in omni ſubmiſsione & patientiâ, Diuorum amicos quoſuis afflictos, ple-

nâ manu, & toto planè horreo, effundis cumulatiſsimè: ideoq; non tantùm nos in terris, honore tuo mirãdum in modum gaudemus; ſed etiam Beatorum animos in cœlo, & præcipuè ſublimem illũ Heroëm totiûs inclyti Regni Sarmatici, & Capitolij huius noſtri Patronum D. STANISLAVM, cuius tu ſanctiſsimis ſedibus inauguratus es, nõ mediocrem cæpiſſe voluptatem, fide certâ contemplamur: atq; ideo conuerſum ad illam totius mundi Mentem, quæ procurat vniuerſa, primò ei gratias egiſſe, arbitramur; Deinde, pro tua ſalute atq; incolumitate, preces eidem fudiſſe, mente ipſa intuemur: ac flagitare hucuſq;, vt, quemadmodũ ipſe, populum quõdam Polonum, diu feliciterq; gubernauit, & contra omnes luporum inſultus pro grege ſtetit imperterritus; ſic etiam tu, qui nunc illi in tanto temporis interuallo ſucceſsiſti, & in loco eius ampliſsimo conſediſti, non minùs bene beateq;, Spartam quã nactus es, exornes, & prouinciã, cum laude æterni Numinis, adminiſtres. Equidẽ diuini Herois, & Patroni noſtri preces haſce, Deum ipſum audiuiſſe, & ſperamus, & credimus, vt diuina prouidẽtia, te Præſide, nullo nobis tempore poſthac vnquam ſit defutura. Sed Regnum hoc, eiusq; Præſidem, & Senatum, omnemq; populum Polonum, tua authoritate, fide, religione ſubnixum; concordiam, pacem, tranquillitatẽ amplexaturum: nihil in poſterũ aliud, quàm de honeſtate vitę, de ſanctitate, de æterna beatitudine cogitaturum. Neq; enim quiſpiam à recto vir-

tutis tramite deflectere vnquam poterit, qui te sibi, tanquam Ducem veræ pietatis,& omnis deuotionis ac doctrinæ cœlestis Antesignanũ,proposuerit; qui in tã tæ dignitatis fastigio constitutus, nihilominùs intemperantiam omnem odio habeas ac insolentiam: non adulatorum vocibus, non plausu populi toties acclamantis elatus vnquam, sed intra tuas metas virtutum progrediendo,in arcem,omnis pulchritudinis & honoris publici,contendis, in tantâ mansuetudine,in quantâ priuatus agebas: ita,vt quemadmodum flumen pleno decurrẽs alueo, nec tamen agros dirimens, in tuis beneficentiæ terminis, & omnis pietatis limitibus,cõtinearis. Vnde fit,vt tuam iustitiæ bonitatem, & suauitatem morum, ac nitorem clementiæ, nulla vox, nulla vbertas ingenij posſit explicare, nullaq; vnquam ætas in posterum conticescat. Quibus tu,tanquam cœlum binis syderibus lucidisſimè radiantibus, cinctus, toti Regno luces,& in omnes Reip. partes radiorum fulgorem diffundis. Scis quippe priuatis hominibus satis esse,si nihil delinquant; Præsidem autem populi,ne suspectum quidem delicti esse debere, certò tibi persuades; omnium siquidẽ ora,atq; oculi in eum sunt coniecti, ita vt quod videant ab eo fieri,sibi idem licere pertinaciter contendant, & moribus eius sint in omnibus se accõmodare paratisſimi. Alexander Magnus,ceruice leuiter incuruâ & pandâ fuit; quod certatim Proceres Regni, & aulici illius imitati fuerunt, quasi ipsum Re-

gem

gem in se effingentes. Adeò etiam minutissima quæq; in Præside quopiam obseruantur, cum æmulationis ardore. Scribitur de helliotropio herbâ, cuius ea est natura, vt se ad solis motum inuertere soleat; & regis (vt dicitur) ad exemplum totus componitur Orbis. Namque, vt solis deliquium magnam mortalibus perniciem adfert, ita error Principis etiam leuis, magnam in rebus humanis gignit perturbationem. Et sicut in corporibus grauissimus est morbus, qui à capite diffluit; sic malũ, quod ab illo promanat, est periculosissimum, imò nocentissimum: omnes enim inficit, in omnes Reip. partes dimanat, ac magno impetu deriuatur. Itaq; ne id tibi vnquam in vitâ contingat, diligentissimè præcaues: & cùm sis, non modò humana sapientiâ, sed diuinâ quoque cumulatiisimus, rerum semper humanarum imbecillitatem suspectas: fragilitatemq; earum cogitans, aliquando adfuturum extremum diem certò tibi persuades; quo quicquid vspiam honoris, gloriæ, celebritatis est, euanescere procul dubio; solam autem bene viuendi rationem, & virtutum celebritatem, recognoscis in sempiternum permansuram. Continenter equidem ac piè viuẽdi norma mors est, eiusq; meditatio assidua, vera & non hieroglyphicis spectris adumbrata Philosophiæ expressio, à diuino Platone nuncupatur. Quid igitur? An non ex te istud sument exemplum? cum te veluti speculum quoddam viuæ probitatis intuebuntur? & maculas suas, iuxta Socratis præ-

ceptum, eluent? Tunc enim Cracouiam, vti solent passim, alteram Romã dicent exteri, vtpotè tot Diuorum sepulchris & mortalitatis exuuijs cohonestatã: tot Oratorijs refertam: tot Confraternitatibus ditatam vrbem! Tunc nobiles viri ac matronæ religiosissimæ, salutis ergô, diuitijs reiectis vel diuenditis, huc confluent: Magni Heroës tacti pietatis zelo, ex suis amplissimis ditionibus huc conuolabunt, & in Oratorio à te fundato ac erecto, licet toto anni decursu, sed potissimũ tamen in sacris Quadragesimæ diebus, suæ deuotionis exercitia, feruentissimè exequẽtur. Ad hanc igitur cœlestem & diuinam fælicitatem, quid potest addi maius? tali animo quid excellentius? huic loco sacro quid conuenientius? Nouit eum sacra Sedes Apostolica, ideoq; tot indulgentijs illum locupletauit, & plusquam Tagi metallis ditauit. O verè sacer locus, viuos & vitâ functos, saluti restituens! O verè te magnum virum, qui locum hunc, ad placandum Deum, reperisti! O bellatorem insignem, qui talem aream ad conflictum cum animicidâ faciendũ, iam pridem adinuenisti, & annuali reditu adauxisti! O tempus sacrum, quo huic VRBI, iam pridem debitus, summus sacrorum Princeps es constitutus! Quid enim? An non tuo instituto viuere, aut pro Christi amore mori etiam, dulce & decorum omnes putabunt? illi, quibus tu sub titulo Compassionis Dominicæ insigne vexillum erexisti: vt sic eius, qui morte suâ nostram prostrauit, concelebrandæ

mortis memoriam identidem refricarent, & in ſigno illo Redemptionis ſalutari cõquieſcant? Ad quod paſſim indiès accurrunt multi, & nomina ſua deuotè ſubſcribunt. Inter quos & ego, cum ſim infimus, non poſſum non laudare adeò ſanctum & laudabile inſtitutũ, exindeq; flagranti rerum diuinarum accenſus deſiderio, in Chriſti innocentiſsimâ Paſsione, omnes iniurias & moleſtias, ſi quæ obueniunt, (obueniunt autem ſæpiſsimè) depono: imò in vulnerib9 ipſis ſepelio; præſertim ſuauiſsima accedẽte voce, & mellifluo diuini verbi precone acclamante, clariſsimo atq; Reu^do^ Admodũ Dño D. IACOBO OSTROWSKI S. Theol. Doctore, Cathedralis Eccleſiæ Crac. Canonico, viro verè pio, & ab aureo æuo in mundum edito. Qui quidẽ in feruẽte ſuâ concione, tantò pluris faciendus Pericle, Æſchine, Demoſthene, & ipſo facundiæ Rõmæ principe Tullio; quantò diuina, humanis præſtant, eloquia. Quem enim ille linguæ ſuæ vbertate non afficiat? quem non ſuſpenſum, imò attonitum reddat flumine eloquentiæ? Fulminantem ſæpenumerò eum in ſerijs horremus; tonantem in diuinis audimus: permiſcentem corda delinquentium, imò conterentem cedros, & immutantẽ rebelles quoſlibet, in ſuamq; ſententiam pertrahẽtem, admiramur! A cuius ore pendent vniuerſi, & locum Oratorij, licet adeò ſpatioſum, incuſant multi, quòd eos ſingulos capere non poſsit, qui tanti Oratoris tam admirabili propeq; diuino præditi vigore & ſapientiâ,

 omni

omni nectare & ambroſiâ proferenda verba ſuauiſsima ac dulciſsima, auidè & cum guſtu cordis æſtuantiſsimi expectant cum intentiſsimo ſtupore! Ambroſium vel Gregorium Nazianzenum, ſiue potiùs aurei oris Chryſoſtomum alterum putares dicentem, dum illum elogia Chriſti Paſsionis, artificioſè, & eleganter admodũ, vt ſemper & aliâs ſolet, cum ſummâ veneratione, patheticè, lachrymas omnium ex oculis elyciendo, ornando politiſsimè, & enumerando, efficaciter, ac neruoſè admodùm, recenſere audires. O verè diuinum Oratorẽ, & cum magno omnium fructu, huic ſancto muneri deputatũ Directorem! qui nihil prius, nihil antiquius in votis habet, quàm, vt quàm numeroſiſsimi ſint, qui inſignia Chriſti Paſsionis in Aede athletæ fortiſsimi, & indefeſsi militis ſupremi Imperatoris, eiusq; ſubmiſsiſsimi imitatoris, ſcilicet, tanquam Carbunculis quinq; ſtigmatibus Seruatoris noſtri inſigniti Diui Frãciſci Aſiſani, meditentur; ſuæq; mortis memores, ſapiant tandem cœleſtia: & intelligãt, inſignia Gentis tuæ adſpectantes, omnia hæc fluxa eſſe & caduca, imò momẽtanea, quæcunq; ſub lunari globo continentur: ſolam autem virtutis æternam eſſe poſſeſsionem arbitrentur. Hic duntaxat eſt exitus, hic occaſus rerum, & honorum omnium; ad hunc ſcopulum quæcunq; admirantur mortales, illiſa omnia franguntur; in has tenebras ac ſolitudinem redigendum, quicquid in oculis hominum reniteſcit, & videtur eſſe ſpecioſum. Ergo hoc efficit in-

ſignis

ſignis Orator ille tuus, vt tuæ oues, Paſtor vigilantiſsime, in paſcuis cœleſtium meditationum enutritæ, ad mortẽ ſe præparent fœliciter obeundam; quâ quidem nihil certius; horâ autẽ eius haud quicquam ignotius eſſe prædicat: non enim miſeretur mors inopiæ, nõ reueretur diuitias, nõ ſapientiæ, non moribus, non ætati deniq; parcit: niſi quòd ſenibus illa ſit quaſi in ianuis, iuuenibus verò in inſidiis. Atq; ſic bonam eſſe mortem iuſtorum propter requiem; meliorem propter nouitatẽ vitæ immortalis; optimam propter ſecuritatem, ille enunciat. E contra verò, peccatorũ virorum mortẽ, malam eſſe in mundi amiſsione; peiorem in carnis ſeparatione; peſsimam in vermis igniſq; duplici contritione, cum D. Bernardo, idem fulgurat, & contendit. Quapropter vt ſeruiant Domino in timore, apprehendentes diſciplinam, in cinere & cilicio, ſeriam pro ſuis reatibus agant pœnitudinem: vt cum D. Petro in tempore accepto reſipiſcant, & cum D. Magdalenâ ſciant in ardenti amore Dei, peccata ſua deflere: vt, ſi corregnare cupiunt, etiam compatiantur, quo pacto fructus vberrimos ex Chriſti vulneribus hauriant & reportent; Patremq; illum cœleſtem, vbertate ſuæ exercitationis exhilarẽt, id inſtigat. Id nempe elaborat ille, vt tanquã pulli, à columbo cibũ ſumentes ex ore ſtillanti diuinũ, per contemplationẽ in aëra euolẽt; ſcilicet vt huius vitę ſtadium rectè decurrant, ac tandẽ in metâ beatitudinis ſempiternæ conquieſcant: demum verò cum ſupremis

illis & diuinis mentibus, obtutus suos in æternum defigant. Hæc quippe laus, hic apex est sapientiæ, ea viuentes appetere, quæ morientibus forent amplectenda. Te igitur Illustriss: PRAESVL, tantæ deuotionis PROTECTOREM & præmonstratorem, dum iam in meditullio Archiconfraternitatis huius videmus: dum in medio nostrûm, nempe in Sede Episcopatûs Cracouień habemus; quid nobis non pollicemur? quid non assequi speramus? præsertim, cum sciamus, præsente salutari medico, sana fieri omnia; indeque præsente Pastore, eodemq; Doctore augustissimo, non languor, non desidia, non scabies oues tuas occupabit; ita, vt quæ antè pleno numero, nunc etiam concursu anhelanti, turmatim proruere contendant omnes, ad diuina facienda, ad exercitia salutaria votis exequenda. Quos quidem ouium greges tu recognoscens, & iam singillatim de facie & conditione (exemplo Diui Tutellaris nostri Stanislai, qui catalogum omnium indigentium, & Clientum, in chartâ semper habebat, sed in pectore magìs gerebat; & nũc pariter, ex altâ cœli speculâ fratres suos prospiciens, multùm orat pro populo Dei) intimam notitiam omnium habere incipiens, quâ nunc lætitiæ significatione summo Pastori, & æterno rerum omnium Conditori Deo non sacrificabis? quo non feruore, tanquam Salomon, in domo Domini constitutus, non eius Maiestati supplicabis? vt in conspectu Iudicis æterni, qui abdita cordis penetrat, & intimos sensus me-

dullitùs peruadit, ſi aliquæ errabundæ hactenus erant oues tuæ, manſuetudinem & portum ſalutis adament omninò: Agni autem, Philoſophicè viuant; ſcilicet, iuxta doctrinam Platonis mortẽ meditẽtur, Chriſti paſsionis vexillo perculſi: quo pacto expeditiùs in omni ſanctitate & iuſtitiâ ſe exerceãt, tam raro Probitatis exemplo, per tuos Directores feruentiſsimos, excitati. Qui quidẽ bonos, ne ab officio virtutis diſcedant, leniter & manſuetè admonent omnes; malos autem, vt ad officium pietatis reuocentur, vehementer & ardenti ſtudio patientiſsimè adhortantur per crebram illam duntaxat, & horriſonam mortis tremebundæ cõmemorationem, atque capitis oſſei pluſquam Gorgonei, expoſitam incuſsionem, & terrorem! Quid ergo? ſaxum profectò eſſet, non homo, tigride ferocior, Caucaſeâ rupe durior, qui non corde ſcinderetur; qui non omninò mirum in modum cõmoueretur! Latere enim nos Conditor noſter voluit diem vltimam, & mortis horã incognitam eſſe; vt nimirum dum ſemper ignoratur, ſemper proxima eſſe credatur: & tantò quiſq; ſit feruentior ſuo in opere, quantò minùs certus eſt de ſuæ vocationis tenore. Intonat ergo ille, vt quemadmodum incerti ſumus quando moriemur; ita ad mortem ſemper parati viuamus: obſeruantes autem dies, & vnamquamq; horam, in conflictu ſpiritûs cùm carne, in militiæ ſpiritualis certamine, tanquam vltimam vitæ ſtationem, reputemus. Serò equidem, (D. Auguſtinus refert) parantur remedia, cùm iam iamq; immi-

nent mortis pericula: & nihil ſic reuocat à peccandi conſuetudine, quàm aſsidua mortis cogitatio. Quocirca, ſpes magna eſt, omnes ſe nunc vel maximè ad omnem pietatis cultum compoſituros, te illis præeunte, more pij Æneæ; vel fortiſsimi Alexandri, magni illius orbis domitoris, celeritate, tẽpore ingruentis periculi, exercitu ſuo obmurmurante. Quod hæc effuſa multitudo omnium Ordinum ad te excipiendum, ſalutandũ, honori ſacro tuo gratulandum, teſtatur. Ac inprimis Cathedralis Eccleſiæ Cracouieñ Capituli, Proceres ampliſsimi, magna hæc nomina, Reipub. & Eccleſiæ columina, in quorum ſingulis, antiquiſsimæ, & nobiliſsimæ familiæ decora & ornamenta relucẽt; quid putas, quo te affectu iam pridem præſtolantur? eo nimirum, quo Sponſum Sponſæ vniri, & copulari, ſummâ cum voluptate intuemur. Ex quorum numero, prudentiâ & authoritate illuſtris ac Rndus admodùm Dñus; D. STANISLAVS SKARSZEWSKI, Scholaſticus Cracouieñ: Cuſtos Wiſl: Ploc: Canon: Auunculus tuus, vnà cum Spectatiſs. duobus nepotibus NICOLAO & ANDREA Can. Ploc. ſuo te nunc amplexu, an non ſingulariter, cum affectu intimo detinet? & cum nunquam tacendæ integritatis viris, ac venerandis Senibus, Rñdis D.D. NICOLAO THARANOWSKI, C.C. ac PETRO GWIAZDOWSKI Scholaſt. Gneſneñ. Cuſt. Ploc. Can: Crac: omniq; tam actu quàm poteſtate PRAESVLVM, nec non Senatorum, Prælatorum, Canonicorum, atq; Nobilium Coronâ, in Baſilicam vſq; D. Staniſlai reue-

renter deductũ, singillatim salutantibus; an non, stirpẽ, eruditionem, dignitatem, rerum diuinarum scientiam, virtutem, & hunc tuum sublimem honorem, quasi solis iubar rutilantissimum, in suum sinum transfundi, & deriuari recognoscit? His se adiungit altrix ingeniorum ACADEMIA, ocellus Regni, splendor Coronæ, vetustissimum in Regno Poloniæ sapientiæ domicilium; ex quo, antiquæ probitatis, inculpatæ simplicitatis, indubitati candoris viri, cum generalis studij Rectore eminentissimo, ceu Musis stipato Apolline; velutq; ex aluearijs suis laboriosarum apum examina, omniũ facultatum Doctores, prodeuntes; quo te apparatu excipiunt? quâ elegantiâ linguæ, tanquam citharæ concentu, detinent? annon eorum omnium aliqui Numæ pietatem; sapientiam Solonis; temperantiam Xenocratis: aliqui fortitudinem Themistoclis; Aristidis iustitiam; Catonis in vultu seueritatem omni placabilitate conditam: demùm Phocionis vel Platonis in dicendo suauitatem, prædicant? Cæteri insuper Chrysostomos, Gregorios, Basilios, Eugenios, Eudoxos, Anselmos, Hieronymos, Augustinos, & sexcentos alios in te suspiciunt, & admirantur! ac deniq;, cùm seipsos, tum etiam sua tibi officia deuotissima consecrãt & dedicant. Imouerò, quemadmodum sanctissimæ Sedi Apostolicæ, serenissimisq; Regibus & Dominis suis clementissimis, ac omnibus Regni Ordinibus, fidelissima hæc VNIVERSITAS, promptissimaq; semper & vbique extitit; quamobrem, in omni omnium temporum

 vene-

veneratione,& amore,apud omnes,bene de bonis sentientes,habebatur: ita nunc quoq; vt priuilegia eius in suo robore sint,& iura omnia in patrocinio tuo sarta tecta permaneant,cum geniculatione exorant. Tua Illustriss: Celsit. iusta petentibus, non refragabitur vnquã, quemadmodum nobis pollicemur. Nec immeritò sanè: supremum enim eius patronum adhuc tũc primùm agis, cùm insigni & supremo Reipub. literariæ Cancellariatûs, simul cum Episcopatu, & Ducatûs Seueriensis munere,es decoratus: quo pacto more Prædecessorum tuorum, sanctissimè in Christo quiescentium, eam ornes, defendas, ac omni veneratione, tanquam studiorum Matrem fæcundissimam,& Ecclesiæ propugnaculum non contemnendum, benignissimo affectu prosequaris. O felicem igitur diem hanc, non solùm albo lapillo notandam, sed ad orbis terræ memoriam sempiternam in Fastis reponendam; quo non amisisse, sed saltem mutasse patronum videmus: & Academiæ nostræ Cancellarium, magnum illum Tylicium, in te reuixisse, omni seposito squalore & luctu, gaudemus. Constãtissimè enim tenemus eũcti, quisquis bonas literas ornet, & Academiam hãc nostram tueatur, illum & terris,& cœlo beneficiũ præstare dignissimum. Terris quidem, quòd hinc viri cultissimi in omni artium genere,& Iurisprudentiâ, atq; legum doctrinâ dignissimi promanãtes; Ecclesiæ vsui, Reip. honori,inseruiant: literas in Septemtrione, iam pridem propagãdo, exiguo sumptu,ne dicam paruo fructu, licet ingenti & vix per-

ferendo

ferendo labore. Cœlô autem, quòd hîc illustres Theologi, penitissimè diuina rimantes: Philosophi, rerũ causas acutissimè speculantes; Oratores disertissimi; Poëtæ diuinissimi; Historici rerum peritissimi, Bono publico se accommodantes, reperiantur. Præterea, Medici & Mathematici insignes, cœli cursus, syderum cõuolutiones contemplantes; hîc demùm, tanquam in equo Troiano milites exercitatissimi, intra vireta Academiæ, contineantur. Quid plura? omnibus his, si tu patrocinari, more tuo, & prouidere illorum rei angustæ, perrexeris; sic & Theologi beatitudine æternâ te dignabuntur; & Philosophi, doctrinæ tuæ celsitudini palmam subscribent: & Oratores rotundo ore loquentes, cum æternâ immortalis tuæ famæ dignitate, ad posteros vsq; nominis tui decus, transmittent. Poëtæ porrò Lunæ tuæ claritatem, Sole æterno perfundent, & *fasces Præsuleos diuino rore beabunt.* Insuper cum Medicis Mathematici, excelsa honorum sydera, præpeti virtutum cursu petentem, te ab omni temporis vetustate, & interitu, vindicabunt. Tantùm est de ACADEMIA mereri, tantùm illi bene velle & fauere. Hæc tu pensitando, & diligenti trutinâ in animo reuoluendo, non committes vnquam Præsul Illustriss. cur de te Ciues Academici iure vnquam conquerantur. Nam si claustra Religiosorum sacrata, (canũt enim Kremeneciæ Seraphico Ordini deuoti Fratres, tuum pietatis feruorem summâ cum gratitudine: & Brestij, in Ducatu Lituaniæ, insigni ritu & cultu Diuina obseruantes, immor-

tale tui nominis decus, in iugi & sempiternâ recordatione, conseruant:) si Deo dicatorum virorum familias, suo nitore pro tuâ pietate dignaris & ornas: si fortunas eorum ex professo angustas, & accisas, eleëmosynis iuuas, tutelâ firmas, ac præsidio tuo & eloquio magnificè ac liberaliter defendere soles: etiam eos, qui & pro Ecclesia Dei, & pro Bono Regni, (cui gubernatores futuros destinant, & quasi parturiunt) tanquam pro aris & focis strenuè, ingenijs suis & pectoribus, reiectâ curiositatis superstitione, decertant; authoritate, ope, facultatibus, consilij pondere subleuando, non inglorium puta heroicè recreare, ac munificentissimè adornare. Effice præterea Illustr: Præsul, pro innato tuæ benignitatis munere, vt nos etiam, in officio extra beneficium degentes, omniũ ope & auxilio destitutos Artium Magistros, qui te nunc suspicimus & veneramur, sacrasq́; tuas lacinias exosculamur, amore & beneuolentiâ singulari complectaris: de nobis nimirum, qui te Musageten, id est Musarum decus & ornamentũ appellamus, tanquã Pater de filijs cogites: insuper tuæ lenitatis aurâ ad maiora dirigas, & Beneficentiæ tuæ radio ad altiora prouehas: sciens, à Principibus viris, tanquã infera à superioribus, tenuioris fortunæ non animi homines, omnem vigorem, & incremẽta sumere. Quod si tu sol nobis hodie illuxisti, an non tui fauoris splendore, & benignitatis lumine, omnes, qui hactenus languere, Parente orbati videbamur; rursus obliti dolorum recreabimur? & reflorescere incipiemus? Tu age, quo

pacto

pacto postera olim dicant sæcula, Illustriss: MARTINVM SZYSZCOVIVM fuisse Episcopum Cracouiensem, benignissimum literatorum promotorem, Clientum clementissimum Patronum, sanctiss: D. Stanislai imitatorē: insuper Iagellonis, Regis augustissimi, Lycæi vetustissimi, & moribus antiquis fundatissimi, Cancellarium prudentissimum, Reip. Polonæ Senatorem grauissimum, ac sapientissimum Ecclesiæ & Patriæ amatorem. Quorsum igitur ego hæc disputo? horsum nimirum, vt intelligas, nos omnes, in tuo lætissimo aduentu vacuos incommodorum, gaudere; & insolito gestientis animi tripudio, eleuari. ¶ Quare, agite dies lætitię, viri, & inclytę vrbis huius, ac totius Diœcesis Cracouiensis incolæ, quibus sacræ & prophanæ res sunt curæ: imò omnes quotquot adestis, in tantâ nunc celebritate, & frequentiâ, constituti; eia iubilum ducite: cuiuscunq; ordinis, conditionis; sexûs, ac dignitatis personæ, vna voce mecum, vno animo, vno consensu, primùm omnis lætitiæ datori Deo Opt. Max. ac totius machinæ mūdi Moderatori, pro tanto tamq; immortali beneficio, gratias agite immortales. Deinde verò, cōueniētissimo tubæ concentu personante, plausu & acclamationibus (sed reuerenter, & cum submissione) decentissimè factis, votis & precibus, eius diuinam Maiestatem obtestemur: vt quem iam nobis suâ gratiâ infulâ triplici insignitum, adeò gratiosum, & sereno vultu omnibus se accommodantem, placidissimeque cum benedictione expandentem, perfectum Fidei custodem, Religionis

ampli-

amplificatorem, Reipub. Polonæ Senatorem, Sacrorum PRAESIDEM, pietatis, deuotionis, rerumq; arduarum maximum protectorem & auctorem dedit, eundem nobis quâ benignitate concesſit, etiam, ſi ita fert eius diuina voluntas, purpureo decoratum galero, ſaluum ac incolumẽ quàm diutiſsimè conſeruet. Vt ſic cæteri, viuam pietatis imaginem in eo habentes, id tempeſtiuè cogitent, quod decoris dignitatem, & nominis immortalitatem pollicetur. Iam enim pridem eius in animo hæc inſedit cogitatio, quàm primùm huic ſacroſancto muneri deſignatus eſt, vt neminem à ſuo auguſtiſsimo vultu, triſtem dimittat: vt in mærore & animi anxietate poſitis, iucunditatem conciliet, ſeueris hilaritatẽ omnem præſeferat. ¶ Quocirca, vt hoc illi, & nobis fœliciter eueniat, te ſumme rerum omnium Conditor, & Parens ingenite, rogamus; quem propter beneficia populus Chriſtianus Optimum, propter vim ac poteſtatẽ Maximũ, appellat. Teq;, ô Mens Patris diuiniſsima, ſapientia æterna, Fili Dei, ſumme Pontifex, rerumq; omnium procreator Chriſte, precibus oneramus; qui in terris ea, quæ ad hominum ſalutem maximè pertinent, procuras; & Eccleſiæ ſanctæ tuæ Paſtores prouides. Te inſuper, totius creaturæ cõſeruator, proborum Dei filiorum conſolator, alme Spiritus, exoramus; noſtro Præſuli cælitùs illabere, dona ſapientiæ inſtilla, & incredibilem in corde eius concilia iucunditatem. Te nunc affatim ô myſtica Trias, triplex quidem perſonarũ diſcretio, ſed vna virtus, & na-

turæ eſſentia, cuius nutu & auſpicio, ſupera, infera, & media reguntur, in finē q; ſuum diſponuntur,& abeũt; te nunc flagitamus omnes, te vno animo , atq; vna voce,obteſtamur;vt ſi ritè tibi pro nouo hoc ANTISTITE noſtro,tuæ gratiæ ſingularis dono,nobis hodie pro inſigni munere dato,vota nuncupamus; ſi ritè in Templũ maximum, pro tuo honore conuenimus; ſi deniq; ritè magnaq; cum fiduciâ, certatim omnes pro adaugendo Fidei ſanctæ incremento, fuſis quotidie precibus ad te confugimus; hanc firmam, ſtabilem, certam, & ratam lætitiam,non tantùm in præſentiâ nobis efficias,verùm etiam deinceps in longiſsimi temporis diuturnitate conſerues. Effice, munificentiſsime Domine, vt noſtrum hunc Pontificem,tanquam optimum & literatiſſimum Ducem ſequentes, noſtræq; ſalutis monimenta feruentiùs in eo, qui cruci affixus erat, conſiderantes; cum eo hanc vitam in pœnitentiâ, læti tamen, & benè bea eq; tranſigamus: ac poſt vitæ huius decurſum,(cuius cogitatio diuina Philoſophia eſt,) certũ tandem ac definitum in cœlo habeamus locum: vbi cum Poloniæ Patronis, D. STANISLAO; ADALBERTO; FLORIANO; HIACYNTHO, Profeſſore huius Academiæ Diuo CANTIO: ſanctiſsimo M. D.L. Principe Caſimiro,& cæteris beatis Mentibus, ſummo Sacerdoti Chriſto adhærentes, ac Pontifici Maximo inceſſanter gloriam decantantes,æuo ſempiterno,perfruamur.

